



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. III. An gratia sanctificans sit compossibilis cum peccato mortali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

possint plures esse causæ, propiores, remotiores &c.) non esset eadem causa cum priore. Ad 2. prob. & textus in ea adductos. Resp. ad 1. charitatem esse tantum præcipuam inter virtutes, de quibus ibi Apostolus loquitur: at esse inferiorem gratia sanctificante, ut ait Gormaz. de grat. n. 27. & Suarez. l. 6. de gratia c. 13. n. 8. quia, ut ait, natura perfectior est, quam ejus proprietates. Ad 2. repono, utique sine charitate in hac providentia, (de qua S. Paulus loquitur) nil prodesse; quia non datur gratia sine charitate; si autem in alia providentia daretur gratia sine charitate, utique prodesset.

276. Ob. 7. Gratia dicitur à nobis radix omnium virtutum: sed talis radix est etiam charitas. ergo. prob. min. 1. Cor. 13. v. 4. dicitur: *Charitas patiens est, benigna est &c.* ubi enumerantur plures aliarum virtutum actus: ergo. Confir. Gratia facit nos sanctos, & immaculatos: tales nos facit etiam charitas: ergo. prob. min. ad Ephes. 1. v. 4. sic dicitur: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus, in charitate.* Resp. neg. min. licet tam gratia, quam charitas sint aliquo modo radix virtutum, tamen sunt in diverso genere. Gratia est radix; quia est quasi natura respectu illarum, tanquam suarum proprietatum: charitas est radix, vel causa moralis earum; quia tanquam regina virtutum, potest omnes actus aliarum virtutum imperare, & ad suum finem ordinare. Ad confir. distin. min. charitas facit nos sanctos causaliter. conc. min. formaliter. neg. min. & conf. ad prob. Resp. illi termini *in charitate*, vel significant charitatem Divinam, qua impellente DEUS homines elegit: vel, si intelligendi sunt de charitate creata habituali, significant, sanctitatem, & immaculatam vitam habendam in charitate, seu per charitatem, tanquam instrumentum præcipuum gratiæ.

277. Ob. 8. Tridentinum. sess. 6. c. 7. ait, formalem causam justificationis esse justitiam DEI, non quia ipse justus est, sed quia nos justos facit: exponens autem, quomodo nobis justificatio conferatur, ait, id fieri: *Dum ejusdem sanctissime Passionis merito per Spiritum S. charitas DEI diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur*: ergo supponit, quod forma justificans sit charitas. Confir. Idem Concilium statim subjungit: *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fides, spes, & charitatem*: nec meminit gratiæ: ergo hanc sub nomine charitatis intelligit. Resp. neg. conf. Ut rectè Suarez. ait. l. 6. c. 13. n. 6. particula *dum* non significat identitatem, sed connexionem tantum; unde solum significatur, quod tunc, quando charitas infunditur, homo justificetur: non autem significatur, quod id formaliter fiat per ipsam charitatem: voluit autem, ut idem Eximius observat, Concilium uti termino *charitas* tanquam notiori, & magis certo; cum non sit certum, an præter charitatem distincta gratia infundatur. Ad confir. textus est pro nobis potius, ut explicatum. n. 266. unde. neg. conf.

278. Ob. 9. S. Augustinus l. 25. de Trinitate.

te. c. 18. ait de charitate: *Nullum est isto DEI dono excellentius: solum est, quod dividit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ*: ergo est gratia. Confir. Idem S. Doctor de natura, & gratia. c. 42. de charitate ait: *Ipsa est enim verissima, plenissima, perfectissimaque justitia*: ergo est etiam gratia. Similia habet aliis locis. Resp. neg. conf. S. Doctor ibi, ut patet legenti caput præcedens 17. num. & hoc ipsum 18. num. per charitatem intelligit charitatem DEI, scilicet non qua nos eum, sed qua ipse dilexit nos, ut expressè dicit. c. 17. additque, eam charitatem esse Spiritum S., quem probat dici quodque donum DEI, prout eum etiam vocat Ecclesia in hymno: *Veni Creator Spiritus*: ubi eum nominat *altissimi donum DEI*: quam charitatem etiam S. Doctor ait, facere, ut diligamus DEUM: ergo hic textus non venit ad rem.

Quod autem attinet ad illud *dividere inter filios DEI* &c. si etiam intelligeretur de habitu charitatis, responderi posset facile ex S. Thoma, qui q. 27. de verit. a. 2. ad 6. ait: *Dicendum, quod hoc, quod charitas sola distinguit inter filios perditionis, & regni, convenit ei, in quantum non potest esse informis, sicut alie virtutes*: hoc est: dividit charitas inter filios &c.; quia ipsa, & etiam ejus actus, semper conjungitur cum gratia.

Ad confir. iterum. neg. conf. nam facile textus explicatur de justitia causali: quod ibi ad intentum S. Augustini sufficientissimum est; quia tantum ibi intendit probare, omnes homines peccasse: quamvis (ut ait, se omittere) forte potuissent non peccare, & habere charitatem DEI, quæ (ut subjungit) est justitia &c. Universim autem circa textus S. Augustini in hac materia notandum ex Suarez. l. 6. de gratia. c. 13. n. 7. S. Doctorem sæpe loqui, non de charitate habituali, sed de actu ipsius, qui est excellentissimus inter omnes actus virtutum: estque verissima justitia actualis, & dispositivè distinguit inter filios DEI, & filios diaboli: ex quo patet nova responsio, ad textus etiam supra adductos. Si autem probaretur, S. Augustinum aliquando loqui de charitate habituali, tunc in eo casu omnia munera, vel effectus gratiæ, possent charitati habituali attribui; quia in hac providentia sunt inter se semper connexæ, sive, ut ait S. Thomas, quia charitas non est informis, sed semper informata gratiâ.

ARTICULUS III.

An Gratia sanctificans sit composibilis cum peccato mortali.

279. Dico. 1. Gratia sanctificans opponitur ex natura sua peccato mortali. ita S. Thomas. 1. 2. q. 111. a. 2. in corp. (ubi gratia habitualis ut sanans ab ipso dicitur esse operans, & non cooperans: hoc est, ut se explicat, habet se tanquam forma seipsam communicans. non verò tanquam causa alicujus effectus.) Suarez. l. 7. de grat. c. 12. n. 3. & communis Thomistarum, ac nostrorum, contra Sconistas. Prob. Tridentinum sess. 6. c. 7. sic ait: *Demum unica formalis causa justitiae*

justificationis est *justitia DEI*, non qua ipse *justus est*, sed qua nos *justos facit*: hæc autem *justitia est gratia*: ergo gratia est unica causa formalis justificationis: atqui non esset talis causa, nisi saltem naturaliter, sive extrinseca exigentia sua, & non tantum ex ordinatione, vel lege DEI extrinseca, opponeretur peccato: ergo prob. min. causa formalis justificationis ex natura sua debet opponi cum forma impediens justificationem, sicut e.g. albedo ex natura sua opponitur nigredini in eodem subjecto: sed peccatum est forma, vel quasi forma impediens justificationem: ergo.

Confir. 1. Quod causat alicujus destructionem per modum causæ formalis, seu, quod idem est, per modum formæ, causat eam per suam impossibilitatem in eodem subjecto cum re destructa, ut patet inductione: sed gratia causat destructionem peccati per modum formæ: ergo. Confir. 2. Concilium Tridentinum ubique entitati gratiæ, & non voluntati DEI adjunctæ, tribuit effectum remissionis peccati: nec est ulla ratio, ob quam non in sensu obvio, & literali, verba illius accipiantur: ergo debet dici, quod ipsa entitas gratiæ sit, naturaliter saltem, opposita peccato gravi, prob. 1. p. ant. Concilium sess. 5. can. 5. docet, per gratiam, quæ in baptismo confertur, remitti reatum originalis peccati. & sess. 6. c. 4. definit, justificationem esse translationem à statu injustitiæ ad statum filiorum DEI, & in hunc finem explicat plura Scripturæ testimonia. Nec est paritas à sacramentis, quorum materiæ, & formæ, non causant, nisi ex institutione, vel ordinatione Divina; nam de his semper Concilia, & Ecclesia, docent, ea causare, quatenus sunt instituta à Christo: nihil simile dicunt de gratia. Accedit, quod sacramenta non causent, tanquam causæ formales, sed tanquam causæ, vel physiciæ, vel morales. Confir. 3. Forma, quæ hominem constituit ex natura sua filium DEI, & heredem regni cœlestis, utique ex natura sua opponitur alteri formæ, quæ hominem constituit filium diaboli, & reum pœnæ æternæ: sed gratia est forma constituens filium DEI, peccatum grave est forma constituens filium diaboli: ergo.

280. Addendum hæc, Lorcam, qui admittit, quod gratia formaliter expellat peccatum, tamen voluisse, ista duo pro aliquo instanti simul existere: sed malè; nam expulsio unius formalis non exigit coexistentiam expellentis, & expulsi, pro eodem instanti: sed tantum exigit existentiam expulsi pro priori instanti, & expellentis pro posteriori; nam expulsio formalis aliud non est, quam positio formæ in subjecto, quæ forma impossibilis est cum priori: & sic expellitur formaliter peccatum in instanti, in quo physice non est, sed tantum fuit, in instanti immediate antecedenti: sic mors expellit vitam, quin simul existant; alias enim simul homo esset vivus, & mortuus, quod esset valde mirabile. Unde coexistentiam istam tantum requirit expulsio effectiva, seu radicalis, sive quando unum producit aliquid, ex quo sequitur pro posteriori instanti expulsio formalis: sic vulnus lethale est expulsio radicalis effectiva vitæ, & existit cum vita: sed

R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. I.

ex vulnere tantum sequitur pro sequenti instanti mors, quæ sit expulsio formalis. Si dicas: igitur expulsio formalis non est stricta expulsio: facis quæstionem de nomine contra communem, in qua nos malumus cum pluribus loqui.

281. Dico 2. Gratia sanctificans non opponitur metaphysice cum peccato mortali, sed supernaturaliter potest cum hoc esse in eodem subjecto. Ita Suarez l. 7. de gratia. c. 19. n. 14. & c. 20. n. 6. & 36. Gormaz de gratia sanctificante n. 37. Oviedo tract. 8. de justificat. contr. 4. punct. 3. Tannerus Tom. 2. disp. 6. de gratia q. 5. dub. 3. n. 57. Arriaga Tom. 4. de gratia disp. 46. sec. 14. subsec. 2. n. 21. (ubi ait, hanc esse communioem) alique plurimi, ab his citati. Huic conclusioni, si non favet, certè non est contrarius S. Thomas; licet enim dicat, gratiam non tantum demeritoriè, sed etiam physice opponi peccato, per hoc tamen non est nobis contrarius; quia admittimus physicam oppositionem formalem, qualem habet calor cum frigore: sed non metaphysicam, qualem habet mors cum vita.

Quando etiam S. Doctor dicit 2. 2. q. 24. a. 10. in corp. peccatum effectivè destruere gratiam, necdum dicit aliquid nobis contrarium; quia potest peccatum ab effectu suo physico impediri: quamvis, cum peccatum non videatur habere effectum physicum, à se distinctum, S. Doctor etiam per effectivè nihil aliud videatur intelligere, quam non tantum moraliter, sed physice, quasi diceret, quod gratia destruat peccatum, non tanquam forma tantum moralis, sed physica: imò Vasquez ait, formalem expulsionem ab authoribus etiam quandoque appellari activam, seu effectivam. vide Oviedo. tr. 8. contr. 4. punct. 3. n. 43.

282. Prob. conclusio. Gratia non opponitur contradictoriè cum peccato actuali, aut habituali; quia neutrum stat in privatione gratiæ, ut probatum. tr. de peccatis a. n. 27. & 238. nec etiam opponitur ita contrariè, ut sit metaphysica impossibilitas; quia hæc oppositio metaphysica nulla ratione potest probari, adeoque gratis asseritur: ergo. Confir. Tridentin. sess. 6. c. 7. distinguens inter se partes justificationis, etiam distinguit inter se remissionem peccatorum, & sanctificationem, seu gratiam; nam ait de justificatione, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem, gratiæ, & donorum. Moguntinum etiam citatum n. 266. distinguit veniam peccatorum à gratia: ergo peccatum, & gratia, contradictoriè non opponuntur. Quod etiam claret ex eo, quod in statu puræ naturæ, nec peccatum, nec gratia, necessariò data fuisset; cum tamen unum ex contradictoriis semper necessariò existat.

Quod autem gratia etiam non habeat metaphysicam contrarietatem cum peccato gravi, videtur probari ex eo, quod videantur se habere ad invicem, sicut formæ aliæ contrariè oppositæ, e.g. albedo, & nigredo, calor intensus, & frigus intensus, gaudium summum, & tristitia summa, quæ saltem supernaturaliter possunt conjungi: certè major oppositio non probatur; cum tamen adversarii, eam affirmant.

X

tes

res, etiam probare teneantur; neque enim nego, hanc conclusionem potissimum nisi argumento negativo, & eminentiâ omnipotentia Divinâ, cui non, nisi ob magnas rationes, negari debet potentia conservandi unum cum altero, sicut etiam unum sine altero.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

283. **O**B. 1. contr. 1. conclusionem.

Natura Angelica, utpote substantia spiritalis, perfectius participat naturam Divinam, quàm gratia, quæ est tantum accidens: & tamen illa est naturaliter compossibilis cum peccato: ergo & gratia. Confir. Juxta nos peccatum haberet connexionem cum gratia ut expellenda, vel, ut dicunt, expellibili: sed nihil naturale potest habere connexionem cum gratia supernaturali: ergo. Resp. 1. hac ratione nec unio hypostatica, nec visio beatifica, excluderent peccatum, quod est falsum. Resp. 2. neg. ant. cum S. Thoma 1. 2. q. 110. a. 2. ad. 2. ubi ait, gratiam, in ratione participationis naturæ Divinæ, esse perfectiorem animâ: quidquid sit, an anima, vel Angelus, absolute sit perfectior, de quo est controversia, & Suarez. l. 6. de gratia c. 13. n. 12. ait, hoc sibi esse incertum. In forma neg. ant. & etiam conf. vide de hac participatione plura n. 264. ex quibus discas, magis gratiam, quàm Angelum esse participationem naturæ Divinæ. Ad confir. retorq. argum. Igitur peccatum etiam connexionem habebit cum unione hypostatica, & visione beatifica, atque actus hæresis cum fide, quæ sunt absurda. Quare forma una non habet connexionem cum altera, quam expellit, sed habet oppositionem naturalem. In forma. neg. ant.

284. Ob. 2. contra 2dam. conclus. Illud non est causa formalis, quo posito in subiecto non indispensable sequitur effectus formalis: sed juxta nos, stante gratia, non sequitur infallibiliter effectus formalis justificationis, sive, quod homo sit justificatus, si scilicet DEUS supernaturaliter, stante gratia, conservaret peccatum: ergo. Confir. Gratia non sanctificaret hominem, nisi concurrente aliquo favore extrinseco DEI, quo hic saltem nolit conservare peccatum: ergo. Resp. neg. maj. aliàs nec gratia sanctificans esset formalis causa filii adoptivi; quia, eâ posita in Christo, non sequitur filius adoptivus. Unde, ut sæpè diximus, maxime in tract. de DEO n. 790. ad denominationem non tantum requiritur forma, sed etiam capacitas subiecti, quæ aliquando consistit in aliquo prædicato, quod si absit, denominatio non datur. sic e. g. Angelus, quia deest ei materialitas, quamvis ei uniretur albedo, non denominaretur albus. Aliquando verò stat ea capacitas in absentia alicujus prædicati, quo præsentem denominationem excluditur. sic e. g. in Christo, quia adest filiatio naturalis, non potest gratia (quamvis sit forma, aliàs denominans filium adoptivum) etiam Christum denominare filium adoptivum. Sic autem etiam denominatio justi exigit absentiam peccati,

quod quando adest, non potest gratia denominare justum.

Est tamen diversitas inter formas naturaliter oppositas: quædam ita opponuntur, ut naturaliter quidem simul esse nequeant: attamen, si supernaturaliter conjungantur in eodem subiecto, tribuant ambas denominationes: sic in Christo summum gaudium, & summa tristitia, supernaturaliter conjuncta, eum denominant summè tristem, & summè gaudentem. Aliæ formæ ita opponuntur, ut non possint simul denominare, ut filiatio adoptiva, & filiatio naturalis: pariter amicitia, & inimicitia, justitia, & peccatum, seu injustitia; quia aliquando subiectum, ut sit capax denominationis, exigit absentiam alterius, aliquando non exigit: aliquando una forma prævalet ita alteri, ut eam non sinat suam denominationem dare subiecto: aliquando non ita prævalet: quod vel ex ipsa natura denominationum, vel ex communi Auditorum sensu desumendum est.

285. Ad confir. dist. ant. gratia non sanctificaret hominem, nisi concurrente aliquo favore DEI extrinseco, quem tamen gratia exigit. conc. ant. quem non exigit. neg. ant. & conf. Neque talem favorem excludit Tridentinum; nam sess. 6. can. 11. duntaxat eos damnat, qui dicunt, gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem DEI, quod nos nec à longè dicimus: imò Oviedo tract. 8. de justificat. contrav. 4. punct. 2. n. 71. ex his Tridentini verbis vult inferre, hoc Concilium potius admittere talem favorem. Addo tamen ex Gormaz de grat. n. 47. quod, licet admittatur necessarius aliquis favor DEI extrinsecus, nihilominus tota forma justificans sit gratia; quia remissio peccati, quatenus dicit puram negationem, non est forma justificans (certè in statu puræ naturæ potuisset dari sine omni justificatione) sed tantum est conditio, sine qua forma non potest tribuere denominationem: decretum etiam DEI, nolentis conservare peccatum, est tantum causa inferens tam gratiam, quàm negationem peccati: neque etiam ipsum est forma justificans, sicut decretum inferens albedinem non est forma dealbens, & decretum DEI, volentis pluribus conferre filiationem adoptivam, non est forma denominans filium adoptivum. Addo insuper ex Oviedo loc. modo citato, gratiam, per suam naturam, absque aliquo favore extrinseco, in actu secundo tribuere omnem rationem positivam, quæ requiritur ad hominem justum denominandum: negativam verò rationem tribuere in actu primo, seu exigere autem hæc detur in actu secundo, requiri adhuc voluntatem DEI remittentis peccatum.

286. Dices. 1. Si calor posset uniri subiecto, quin denominaret calidum, non esset unica causa formalis calidi: ergo juxta nos gratia non erit unica causa formalis justificationis. Resp. dist. ant. si posset uniri subiecto capaci. conc. ant. subiecto non capaci. neg. ant. & conf. si calor uniretur Angelo, non denominaret calidum, etsi calor sit tota, & unica forma concreti calidi; quia Angelus immaterialis est incapax hujus denominationis. An id possit fieri, non disputo: si non potest huic, vel simili subiecto incapaci, calor uniri, hoc ipso datur